

festare queant. Secundo, aspersio aquæ sacræ signat fuisse baptizatum, qui decessit. Thurificatio monet, ut pro eo ardentis ad Deum preces fundamus, quæ instar incensi ad eum dirigantur. Rursum defunctum vixisse velut Christianum, spargendo odorem bonæ famæ, juxta id apostoli: *Christi bonus odor sumus*.

Secundo, sepelitur non stans more Judæorum, sed supinus et jacens; versus orientem. Ratio primi est, quia non amplius expectamus Messiam, ut Judæi, sed advenisse credimus. Ratio secundi, quia Christus in cruce ad occidentem vertit faciem. Itaque ante faciem Redemptoris facies redemptorum constituimus, quia fidem et salutem ei debent, ab eoque resurrectionem expectant.

Tertio, sacerdos et postea circumstantes partem terræ deposito in tumulum corpori injiciunt: primo, ut sic opus misericordiæ exerceant, quasi parati suis manibus sepelire mortuum: secundo, ut seipsos noscant, dum sacerdos ait non tam defuncto, quam vivis circumstantibus: *Memento homo, quia pulvis es, etc.*

Quarto, tumulus super sepulto erigitur, ut pateat, quid et quantus sit homo, qui tam exiguo loculo nunc clauditur; unde tumulus idem quod tumens tellus. Hinc S. Chrysostomus, in orat. de fide et lege: « Circa sepulera philosophamus, inquit, videntes ossa nuda, et statim cogitamus et inter nos disputamus, dicentes: Ecce quid tandem ex nobis fit? Et quo abimus? » Et infra: « Ea propter Deus ubique sepulera fieri voluit, ut illis nostræ ipsorum infirmitatis memores fieremus. Ideo omnis civitas, omne castellum ante ingressum sepulcra habet, ut contendens intrare civitatem, quæ imperat et floret divitiis et potentatu aliisque dignitatibus, priusquam videat, quod secum concipit, videat primum, quid sit. » Sic ille.

Quinto, tumulus floribus respergitur multis in locis: utique amoris et honoris gratia; sed rectius faciunt, qui eleemosynis et aliis piis operibus defunctorum animas juvant. Unde Hieronymus ad Pammachium: « Cæteri, inquit, mariti super tumulo conjugum spargunt violas rosas, lilia, floresque purpureos, et dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynæ balsamis rigat, etc. » Sic ille.

Sexto, crux super tumulum erigitur, ut indicet, sepultum militasse sub hoc signo, et per id salvandum esse. Quod enim vivi in fronte depingunt, idem et in morte palam ostendere debent. Et hic est character Agni, sine quo ad ultimum nemo admittitur: hoc signum thau in

postibus Hebræorum, quod angelus percussus transiit. Unde quidam gentilis de sepulcro fassus est, sibi hoc signum non deberi, sed Christiano deputatum esse, apud Gretserum de cruce, l. II. c. XV. ut alibi diximus.

Septimo, defuncti, maxime viri sancti et præclari ac qui publicæ dignitatis erant, oratione funebri laudabantur, ut testatur Dionysius apud Gretserum, de fun. christ. lib. II. cap. XII. Theodoretus, lib. II. hist. eccl. c. XIV. de S. Meletio. Sed laudabatur ibi virtus tantum, non forma, divitiæ genus, multitudo conjugum aut liberorum, etc. uti Prædicantes faciunt sartori cumque. Verum optima illa oratio est, quæ pro defunctis ad Deum funditur: qualis est dies depositionis primus, tertius, septimus et trigesimus atque anniversarius. Dies primus, quod eo die corpus sepeliatur: tertius, propter eum qui tertia die resurrexit, ut ait S. Clemens, l. VI. const. apost. cap. XLVIII. dies septimus, quia ille dies futuræ quietis est, Augustinus, libro I. quæst. super Gen. ad fin. unde luctus septem dierum habetur Eccles. XXII. tricesimus ex veteri Hebræorum more; quia Joseph defunctum Jacob patrem luxit triginta diebus (præter alios quadraginta qui condiendo cadaveri insumpti) Gen. L. Moysen etiam delevit populus triginta diebus, Deut. ult. similiter Aaronem, Num. XX. eundem trigesimum celebrari sibi petiit S. Ephrem in suo testamento: anniversarius, quia uti sanctorum in cælis colimus anniversarium propter utilitatem nostram: ita fas, ut (quia nescimus statum animarum illarum) earundem anniversarium obeamus propter utilitatem illarum et devotionem nostram, Amular. Fort. l. III. de div. offic. c. XLIV. Quapropter dilectissimi, dum hæc et similia aguntur, quæso, adeste animis et non corpore solum, quo modo ligo aut aliud vespilonis instrumentum hærens juxta sepulcrum. Non tam mortuis quam vivis ea fiunt et dicuntur: imo ritus isti voces quasi et gestus ipsius defuncti sunt, quibus excitet circumstantes partim ut pro eo preces fundant, partim ut sibi ipsis attendant tamquam brevi futuri, quod est ipse: quasi illud Eccles. cap. XXXVIII. pronuntians: *Memor esto judicii mei: sic enim erit et tuum. Mihi heri, et tibi hodie.*

CONCIO VIII.

CANTUS SACER ECCLESIASTICUS, CUR INSTITUTUS.

I. Ut Deum quantum possumus laudemus. — II. Ut reddamus orationem Deo gratiorem. — III. Ut mentem ad Deum facilius elevemus et tristitiam pellamus. — IV. Ut triumphantem Ecclesiam imitemur. — V. Ut beneficia divina cum lætitia prædicemus. — VI. Ut Ecclesiam adornemus. — VII. Ut hac illecebra populus alliciat ad rem divinam.

THEMA.

Cum vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dixit: Recedite. Matth. IX.

Ex hodierno evangelio conati sunt hæretici evertere ritum cantandi ecclesiasticum, (qui in Ecclesia Græca a S. Ignatio martyre, in Latina a S. Ambrosio institutus fuit) et usum instrumentorum ad officia divina adhiberi solitum; siquidem ea hic Christus improbari et facessere jussit, dum tibicines et turbam tumultuantem ejecit e domo archisynagogi, quasi eorum nomine organistas et cantores ecclesiarum comprehenderit. Ita olim Donatistæ, qui catholicos, reprehendebant circa annum Dom. 400. quod divina cantica prophetarum in ecclesia psallerent. Eundem errorem suscitaverunt Wildenses, qui dixerunt, frustra teri tempus in cantibus ecclesiasticis: quos secutus est Waldensis et Wicleffus, cantantes in ecclesia vocans sacerdotes Baal, qui clamoribus deum suum, ac si dormiret, excitare conabantur. Quod idem nostris temporibus docuit Calvinus et tenuere Protestantes; qui in initio non modo cantum abolvere, sed etiam organa et instrumenta. Sed quam recte fecerint vel ex eo potest colligi: quod paulo post eadem revocarint, et organa pluribus in locis, magnis sumptibus reposuerint, uti in ipsorum synagogis hodie cernere est. Sane in hodierno evangelio non voluit Dominus abolere aut prohibere cantum ecclesiasticum, aut musica instrumenta, quæ in Ecclesia decenter usurpantur: non enim e templo exegit musicos, sed e domo: unde potius sequeretur, profanam et domesticam musicam abolendam esse. Sed nec ista mens erat Christi; voluit tantum non lugendam esse filiam, quasi mortuam, quæ ipsi dormiret mox resuscitanda. In contrarium vero Christus cantum sacrum approbavit et defendit contra obtreptantes, quando de pueris sibi accinentibus: *Hosanna*, ait ad Phariseos: *Utique nunquam: legistis: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? Matth. XXI.* Quare Phariseis istis assimiles sunt hæretici, qui laudem Dei decantari

in Ecclesia vetant. Nos vero videbimus, quam utiliter et laudabiliter institutus in Ecclesia sit cantus et concertus sacer.

I. Institutus est primo, ut toti et modis omnibus, quibus possumus, Deum laudemus. Cum enim constemus spiritu et corpore (ut S. Damascenus ait, lib. IV. de fide orthod. c. III.) deceat adorare et laudare Deum non tantum affectibus, sed verbis etiam ac vocibus, ut corpus et spiritus; sive ut David ait Psal. XXXVIII. *Cor et caro nostra exultent in Deum vivum*. Et licet nobis ora centum, linguae totidem et ferrea vox esset, non possemus satis laudare Deum. Unde Eccles. XLIII. dicitur: *Qui benedixit Dominum, exaltate illum, quantum potestis: major enim est omni laude*. Pulchra igitur hæc harmonia est, cum ore simul et mente Dei laudes canimus; sicut apostolus, I. Cor. XIV. ait: *Psallam spiritu (voce), psallam et mente*. Multo magis adhuc requiritur consonantia morum, ut sine peccato canamus, juxta id S. Aug. ad Psal. CXLVIII. *Cum laudatis Deum, inquit, toti laudate: cantet vox, cantet vita, cantent facta*; quo modo scilicet debet cantus tactui seu mensuræ congruere. Alioquin tuum ipsius cantum destruis raucedine peccati, ut habet Origenes, hom. VI. in I. Jud. ac sicut lusciniæ frustra canit, cum ei corvus crocicans obstrepit: ita et qui cum peccato adeoque obstrepente sibi conscientia canit. De tali enim cantore dixit Deus, Amos VI. *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam, q. d. cantus tuus non nisi tumultus et strepitus in auribus meis: non delector cantu lyræ vel lyripipii, etc.* Obstreperunt etiam cantui sacro, qui sub illo profana cogitant et desiderant, uti corvus crocicans cadaver. Denique, cantus noster esse debet, qualis est cicadæ, quæ, cum ore careat, pectore canit. « Unum hoc ex iis, quæ vivunt, inquit Plinius, lib. XI. c. XXVI. sine ore est. Pro eo quiddam aculeatum, linguis simile et hoc in pectore, quo rorem lambunt. Pectus ipsum fistulosum, hoc canunt. » Pectore igitur canere, non solo ore debemus, eoque celestem rorem excipere. Et si ore quis cantare nescit, pectore saltem canat. Sic clamabat et cantabat Moyses ad Dominum, tametsi vox ejus non audiebatur, Exod. XIV. dicente Domino: *Quid clamas ad me?* Sic orabat Anna, cujus labia quidem movebantur, vox vero non audiebatur, I. Reg. I.

II. Ut reddamus orationem Deo gratiorem, eique viam ad cor nostrum præparemus; tum quia hilarem datorem diligit Deus: cantus autem hilaritatem orationis et laudis divinæ indicat: tum quia: *Qui cantat, ut dicit quidam, bis orat, quamobrem et mendici, qui præ foribus nostris*

cantant, plus impetrant communiter, quam qui nuda voce mendicant. Itaque tali laude et oratione quæ hymno exornatur, Deus quoque citius placabitur. Unde dixit S. Gregorius, hom. I. in Ezech. « Cum vox psalmodiæ per intentionem cordis agitur, omnipotenti Deo iter ad cor præparatur, » juxta Psal. XLIX. *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter, quo ostendum illi salutare Dei*: et Psal. LXVII. *Cantate Deo; psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum*, q. d. per psalmum disponitur homo ad excipiendum Deum in cor suum. Sane Elisæus jussit sibi adduci psalten ad excipiendum spiritum prophetiæ, et tunc: *Facta est super eum manus Domini*, IV. Reg. III. per cantum enim illuminatur animus a Deo, liquefit ad contritionem et amorem Dei. Potuit hoc cantus sacer efficere apud homines cur non etiam apud Deum. Abbas Floriacensis, nomine Theodulphus, cum ob suspicionem conjurationis in Ludovicum imperatorem in carcere coniectus esset, observans imperatoris transitum, et tum per fenestram carceris canere cœpit hymnum illum, quem in carcere composuerat, et Ecclesia in die palmarum canit: *Gloria, laus et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor*. Qui cantus adeo placuit imperatori, ut mox educi eum e carcere jusserit, et episcopum Aurelianensem fecerit, Baronius, an. 835.

De imperatore Theodosio scribit Sozomenus, lib. VII. c. XIII. cum is in Antiochenos vehementem iram concepisset: Flavianum episcopum stipatum aliquot elegantibus pueris, quos accurate docuerat cantionem quamdam lamenablem, ipsum adisse. Mox Flavianus invitatus ad prandium ab imperatore, causam suscepti itineris exponit, et pro Antiochenis veniam humiliter precatur, sed imperator tetrico vultu, de hoc ne cogitandum quidem ait, manere in Antiochenos sententiam. Quare ut saltem pueros suos cantantes audire dignetur orat, moxque impetrat. Qui cum lugubrem et summa arte præparatum cantum voce depromerent, totus immutatur imperator et lacrymas vix continens accepta patera, episcopo ait: *Ecce Antiochenis propino in signum benevolentiæ, pacis et gratiæ*. Quod si igitur ex animo et devote cantus ecclesiasticus orationi jungatur, non dubium, quin Deum quoque pronum ad misericordiam, efficacius emolliat, (ut sic loquar) quam sola et nuda oratio.

III. Ut mentem ad Deum facilius elevemus et tristitiam pellamus. Unde Isidorus, I. I. de offic. ait cantum ecclesiasticum introductum, ut major in eo esset ad Deum attentio, solemnitas et reverentia divini laudis et ut excitet animos

fideliū in sincerioŕem devotionem et pium affectum: et lib. III. de summo bono, c. VII. ait: *Quamvis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inŕectit*: et S. Augustinus, lib. X. confess. cap. XXXIII. ait approbare se in Ecclesia cantandi consuetudinem, ut per oblectamenta aurium infirmior animus ad affectum pietatis assurgat: et lib. IX. cap. VI. ait: « Quantum fleui in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis et eliquabatur veritas tua in cor meum, et ex ea æstuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis. » Facit etiam ad tædium in oratione depellendum. Remiges canere solent, teste Cælio Rhodig. lib. IX. c. X. ad remigandi laborem temperandum. Similiter et qui arant rustici, ut sese ad laborem excitent, facit igitur idipsum Ecclesia. Unde chori alternatim canunt, ut se mutuo ad Dei laudem exhortentur, juxta quod exponit Haymo id apostoli ad Ephes. V. *Loquentes vobismetipsis in hymnis, etc.* Ob hanc causam I. Esd. III. inter Hebræos Babylone redeuntes fuerunt cantores et cantatrices ducenti, ad itineris molestiam sublevandam et reduceum captivorum animos exhilarandos: quin et philomela, ut scribit S. Ambr. in hexam. longæ noctis laborem cantus sui suavitate subleuat. Sic David cum adhuc pastor esset in solitudine, parvo psalterio, laudes divinas decantans, melancholiam pellebat, ut notat S. Hilarius, in principio exposit. psalmor. Igitur ut etiam nos exilii nostri mœrorem subinde temperaremus Ecclesia instituit cantum sacrum.

IV. Ut triumphantem Ecclesiam, modo quo possumus, imitemur et repræsentemus. Quare S. Hier. in Psal. CXV. ait: « Sicut martyres laudant Dominum in regione vivorum: ita monachi, qui die ac nocte psallunt Domino, debent habere eamdem pietatem: martyrum siquidem ipsi martyres sunt. » Hæc Hieron. S. vero Bernardus super Cantica scribit: « Nihil in terris ita proprie repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas Deum laudantium: » etenim Is. cap. VI. vidit angelos cantantes, qui: *Clamabant alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus, etc.* cantu videlicet reciproco, quali S. Ignatius martyr, tertius post S. Petrum Antiochiæ episcopus, aliquando ad vitam beatorum raptus audivit Deum laudari, qui postea eandem instituit in Ecclesia Antiochena canendi formulam, teste Socrate, I. VI. hist. VIII. Similiter et Joannes Apoc. V. vidit sanctos in cœlo habentes citharas suas, qui cantabant canticum novum.

Ut igitur indicemus nos eorum cervices esse, eosdem imitamur: et hic eorum cantica quasi in schola addiscimus, ut ibi sciamus, quomodo futuræ moniales prius docentur cantum, quam religionem ingrediantur, ut in religione sciant, quod tota vita exercebunt. Unde in hymno angelico sub missa canimus: *Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, etc.* Cantare igitur in Ecclesia, est officium angelorum, et propterea non erubere etiam viri principes cantu ecclesiastico Deum venerari. Theodosius junior imperator primo diluculo cum sororibus suis hymnos decantare solitus erat, ut refert Socrates, lib. VII. c. XXII. Robertus Francorum rex, festis diebus in monasteriis commorari solebat, choro assistere et cum monachis cantare, ut refert Martinus, in chron. anno 951. Honori sibi ducebant imperatores isti, quod sanctos in cœlo imitari, seque ipsis jungere, et Deum suum laudare possent. Porro sicut in cantu plures licet et diversæ voces sint, aliæ aliis semper altiores, omnes tamen optime consonant, eandemque mensuram observant; ita et inter beatos etsi varii sunt gradus meritorum et præmiorum, omnes tamen Deum summa unanimitate sine invidia pro suo quisque modulo laudant: et ut varietas illa vocum, cantum reddit suaviorum: ita varietas meritorum in cœlo Dei laudem. Qua in re cantus ille nos monet, ut quemadmodum canendo in ecclesia concordamus, sic etiam mutuo nos diligendo in unum conspiremus, etsi ingenia, officia, et status valde sint diversi. Voces, fides et fistulæ temperantur ut consonent: sic temperare quilibet et mortificare passionem suas debet, ut in Ecclesia musicam charitatis Deo et angelis exhibere possit.

V. Ut beneficia divina debita cum laude et lætitia decantemus. Patet enim ex Sacra Scriptura, celebriora Dei beneficia cum cantu et instrumentis musicis solemniter decantata fuisse. Sic Maria post transitum maris rubri et demersum Pharaonem: sic Debhora, post prostratum Sisaram: sic Judith, post devictum Holofernem: Zacharias, B. Virgo, Simeon beneficia Dei hymnis decantarunt. Nos igitur Christiani, quia præ omnibus notionibus maxima et frequentissima accepimus Dei beneficia, ideo jure merito ea cantu quotidiano et perpetuo celebramus. Peculiariter religiosi et canonici septies in die laudem Deo dicunt veluti alaudæ, quæ septies in die canere perhibentur; unde Ægyptii divinam laudem designabant, per alaudæ caput septies in tabula depictum, ut scribit Joannes Steph. Durant. de ritibus Ecclesiæ, lib. III. cap. III. et V. David etiam de se ait, Psalm. CXVIII. *Septies*

in die laudem dixi tibi. De quo S. Ambr. lib. III. de virginib. ait: « Si propheta dicit: Septies in die laudem dixi tibi, qui regni erat necessitibus occupatus, quid nos facere oportet qui legimus: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem? Certe solennes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum a somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, et hora incensi, cum denique cubitum imus, sed etiam in ipso cubili, etc. » Hæc ille. Sane antiqui Christiani etiam partem noctis, orationi et psalmis tribuebant. De illis enim scribit Plinius secundus, lib. X. epist. XCVII. ad Trajanum imp. eos solitos stato die ante lucem convenire carmenque se cum Christo dicere invicem, hoc est, in choros discretos. Et hinc cantatur matutinum in memoriam tum nativitatæ Christi, qui media nocte natus: tum captivitatis, qui sub noctem captus et ingentes sustinuit cruciatus: tum resurrectionis ejusdem, propter quam peculiariter institutæ sunt laudes. Prima, in memoriam deductionis Christi ad judices et accusationes: tertia, in memoriam condemnationis Christi, flagellationis et coronationis: sexta, in memoriam crucifixionis ejus: nona, in memoriam expirationis Christi: vespere, in memoriam depositionis de cruce: completorium, in memoriam Dominicæ sepulture.

VI. Ut Ecclesiam catholicam etiam hoc decore ornemus. Si enim Salomon ad ornatum templi et sacrificiorum suorum tot tamque varios instituit cantores et instrumentistas: quanto magis id pertinet ad Ecclesiæ nostræ decorem? Et si regiæ domus et aulæ principum decorantur musicis, cur non item basilica et regia Dei, templum? Decet autem cantus Ecclesiam nostram singulariter, quia in ea Christum in altari præsentem habemus. Si apes regem suum sonitu circumdant et bombos ac cantum ei cient, teste Aristotele, lib. X. de animal. quanto æquius nos Deo et regi nostro carmina accinimus? Quod si coram arca David ipsemet lusit in omnibus lignis fabrefactis: quanto rectius id facimus nos, præsertim coram s. eucharistia. Confundit haud dubie hic Ecclesiæ decor hæreticos: sicut cantus et laus Davidis coram arca, uxorem Michol: sicut cantus sacer Publicæ et sociarum virginum Julianum imperatorem apostatam, ut narat Eusebius, lib. VI. hist. tripart. c. XXXVI. quæ tanto magis eo prætereunte psallebant, quo magis ille id vetabat; præsertim versus illos: *Simulacra gentium, argentum et aurum. opera manuum hominum: et: Exurgat Deus et dissipentur omnes inimici ejus*. De Valente imp. Ariano, re-

fert Bar. in annal. an. D. 370. quod cum is Cæsareæ Cappadociæ Ecclesiam, cui S. Basilius præerat, vexaturus ingrederetur, ob populi multitudinem, ordinem et divinam psalmodiam et Basili venerandam præsentiam obstupefactus sit, ita ut cor ejus prorsus emolliretur, et ipse persecutionem remitteret.

VII. Ut hæc quasi sancta esca populus alliciatur ad divinorum officiorum et ecclesiæ frequentationem. Quia enim sensibus maxime trahimur, escam nobis proportionatam Ecclesia proposuit, qua alliceremur ad frequentanda divina officia. Sane ad profanam musicam, ad fidicines et tibicines multi longam viam eurrunt: et cur non potius ad sacram musicam venire deberemus? Verum heu! diabolus longe plures habet auditores, quam Christus, qui tibicines et profanos cantores, utpote indignos qui audiantur, ejecit domo. Nimirum uti Israelitæ fastidiebant manna ideo tantum, quia quotidianum erat et abundans; cæpe contra et alia Egypti desiderabant: ita quia istis secularibus hominibus stomachus est destructus, non sapit nisi tibia et lyra, quæ vocem ad clamores et pedes ad choreas excitant. Quia musicæ censors, asino illi similes videntur, qui cantum philomelæ improbavit, utpote intricatum et difficilem intellectum: cantum vero cuculi prætulit, velut planum et intelligibilem. Sed quid de his scriptum est Isa. V. *Cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in convivis vestris et opus Domini non respicitis, etc. Propterea dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino, et descendit fortes ejus et populus et sublimes gloriose ejus ad eum.*

CONCIO IX.

DOCUMENTA, OBITER INDICANTUR.

I. Disce credere et sperare in Deo: 1. A principe. 2. Ab hæmorrhœissa. — II. Disce orare. — III. Disce fugare peccata. — IV. Disce peccata corrigere. — V. Disce expiare peccata per penitentiam. — VI. Disce digne communicare: 1. A Christo. 2. Ab hæmorrhœissa. — VII. Disce bona agere. — VIII. Disce etiam pati mala. — IX. Disce mundum spernere. 1. A Christo. 2. A filia Jairi. — X. Disce in bono perseverare.

THEMA.

Loquente Jesu ad populum, ecce princeps unus accessit. Matth. IX.

In hodierno evangelio alia bona, alia mala: alia sectanda, alia fugienda sunt. Sunt ibi qui Christum comprimunt, irident et impediunt, sunt et qui adorant et cum veneratione tangunt,

aliaque laude digna præstant. Nos juxta consilium Domini, Matth. X. *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ*; animalcula hæc imitabimur. Ut enim serpentes reperiuntur, qui audiunt quæ placent, ocludunt aures iis, quæ audire nolunt: et sicut columbæ meliora grana seligunt, deteriora relinquunt: ita nos seligemus quæ nobis imitanda, relinquemus fugienda.

I. Discimus credere et sperare in Deo. Primo, a principe, qui credidit sanandam esse filiam, modo ei Christus imposuisset manum suam. Ac licet occurrerent ei, qui dicebant: *Quia filia tua mortua est, quid ultra vexas magistrum?* ut ait Marcus: nihilominus tamen in fide perstitit et cum Christo in domum suam perrexit. Magna hæc fides fuit, tum quia nullum adhuc mortuum a Christo suscitatum viderat (hæc enim filia prima est, quæ resuscitata legitur) tum quia tristi occurrentium nuntio et objurgatione nihil motus est.

Secundo, ab hæmorrhœissa, quæ pari fidei firmitate: *Si tantum, inquit, tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Credidit ergo hæc mulier, etiam vestem Christi virtutem ab ipso sortitam esse ad sanandum ægros. Deinde, credidit se sanandam, licet retro et occulte accederet, Christo etiam pro sanitate non interpellato. Magna sane utriusque fides, quæ imprimis confundit hæreticos, qui cum multo majora et difficiliora de Christo credant, quam sit mysterium eucharistiæ, (v. g. ascensionis Christi in cælum, ex quo ipsemet comprobatur mysterium eucharistiæ, Joan. VI.) mysterio tamen illi præsentiam Christi realem abnegant. Deinde, eos, qui negant sacerdotibus potestatem consecrandi datam; cum tamen hic videamus ipsam Christi vestem mutuasse a Christo virtutem sanandi morbos. Laudo etiam mulierum devotionem in venerandis Christi et sanctorum imaginibus, modo superstitione et irreverentia careant.

II. Discimus orare, et hoc a principe. Nam primo, exhibuit in orando reverentiam et humilitatem, quia, ut Sanctus Lucas ait: *Accidit ad pedes Jesu*; et ut Sanctus Matthæus: *Adorabat eum*: secundo, fervorem, quia ut ait Sanctus Marcus: *Deprecabatur eum multum*: tertio, fiduciam, quia credidit se exaudiendum. Non credebatur adhuc Jairus Christum esse Deum, sed virum dumtaxat sanctum aut prophetam. Quantum ergo nos in orando Deo adhibere reverentiam, fervorem et fiduciam decet?

III. Discimus fugere peccata, tum quia propter peccata punitam esse mulierem et principem, credibile est, tum quia peccata Deum tangunt

et offendunt, ideoque latere eum nequeunt; quemadmodum et mulier ista licet retro clanculum accesserit, nequaquam tamen latuit, ut ait S. Lucas quia fateri debuit Christo, se fuisse, quæ illum tetigit. Peccata itaque morbos et ipsam mortem uti invexere in mundum, ita etiam num crebro causant. Deinde, quantumcumque occulte et recte fiant, Deum minime fallunt vel fugiunt.

Imprimis vero fugiendum inanem gloriam discimus a Christo, qui parentibus puellæ præcipit ut nemo sciret beneficium, quod illis impertivit. Nimirum inanis gloria venenum est bonorum operum, milvus est raptor pullorum, draco insidians proli vix editæ, Apoc. XII.

IV. Discimus peccata corrigere: et quidem ac manifesta, (quæ significantur per fluxum sanguinis in muliere) manifeste: occulta vero (quæ significantur per mortem filie nondum elatæ, sed adhuc in conclavi reclusæ) occulte. Nam Christus morbum mulieris sanavit in publico, voluitque ut se proderet: filiam vero resuscitavit in conclavi, paucis præsentibus. Ubi igitur sanguis effunditur, id est, graviter et publice peccatur, publica adhibenda est correctio: privata vero delicta privatim emendanda nec facile evulganda sunt. Cænum est hoc, non hominum: qui etiam ossa rodunt, eaque ex angulis et latebris protrahunt; de quibus Proverb. I. dicitur: *Insidiemur sanguini.*

V. Discimus peccata expiare per penitentiam, et quidem ab hæmorrhœissa, quæ primo, per fidem illustrata dicebat intra se: *Si tantum tetigero, salva ero.* Itaque primo, peccator illustratus a Deo cogitet qua ratione a peccatis sese expedire velit; revertatur in se cum prodigio filio et dicat: *Surgam et ibo ad patrem meum.* Secundo, accessit retro cum veracundia: ita etiam peccator rubore suffundatur ob admissa peccata. Tertio, tetigit fimbriam vestimenti: faciat hoc peccator considerando novissima, nec non passionem Christi (quæ est vitæ ejus terminus), cui causam dedit, indeque compungatur. Quarto, interrogata a Christo, ingenue confessa est fœditatem infirmitatis suæ addiditque annos, quibus eam passa fuit, duodecim videlicet, seque illam esse, quæ vestem ejus tetigit, denique ut S. Marcus ait: *Dixit ei omnem veritatem*: ita poenitens a confessario de statu conscientie suæ interrogatus, fateatur ingenue, omnem veritatem et quantumvis fœda, una cum circumstantiis, peccata sua, quibus Deum non tam tetigit, quam feriit. Tunc audiet a confessario velut ab ipso Christo: *Esto sanus, seu absolvo te.* Nec omittendum, quod hæc expiatio peccatoris

fieri debet in via, id est, in hac vita et quidem tempestive: quemadmodum et mulier illa sanata est in itinere Christi ad Jairum. Et sicut ipsa per mediam turbam intravit se, vimque adhibuit quo ad Christum veniret: ita et peccator non sinat se ullis negotiis vel obstaculis impediri a penitentia, quia: *Regnum cælorum vim patitur et violenti rapiunt illud*; multo etiam nobilior est salus animæ, quam corporis.

VI. Discimus digne communicare: primo, ab ipso Christo, qui ingrediens domum Jairi ejecit mox turbam tumultuantem, tum ingressus est conclave puellæ, et manu prehensam excitavit jussitque illi cibum dari, ut habent Lucas et Marcus. Ad eundem modum ejici primo, per contritionem et confessionem debet turba peccatorum: et tunc per gratiam suam ingreditur Christus in animam erigitque illam data amicitie suæ dextera: postea, per cibum s. eucharistiæ animam confortat.

Secundo, ab hæmorrhœissa, quæ cum Christo tetigisset fimbriam (per quam intelligere commode possumus sacram eucharistiæ) tremens venit et procidit ante pedes ejus, secundum Lucam: tametsi paulo ante jam sanata erat. Pari modo sanus jam et purus esset qui ad Christi communionem accedit et nihilominus cum timore et tremore accidere ad ejus pedes, quem scimus esse Deum: quod si mulier illa scivisset, quanto amplius trepidasset? Et tunc fiet Christo familiaris adeoque filius: quemadmodum et mulier ab eo filia vocata est.

VII. Discimus bona agere a Christo, qui primo docens et disputans de jejuniis, cum intervenisset Jairus rogans eum pro filia, statim surgens secutus est eum. Quanta hæc humanitas Dei erga hominem, dimittere concionem et mox sequi præeuntem, quo ducebat? Facto respondit Dominus, non verbo. Secundo, in ipsa via aliud insigne beneficium impertivit mulieri, tum ut Jairum tristi nuntio percussum, in fide roboraret, tum omnes doceret, nullam bene agendi occasionem prætereundam, sed quodcumque potest manus nostra, instanter operandum, adeoque ut apostolus ait ad Ephes. V. tempus redimendum esse, ne vel una hora infructuose nobis elabatur. Tertio, parem erga pauperem feminam et erga principis filiam exhibuit charitatem et benevolentiam.

VIII. Discimus pati etiam mala seu adversa, ab eodem Christo, qui primo, cum a turba comprimeretur et affligeretur teste S. Petro, nihil inde hoc conquestus est. Quod utinam advertant nobilibus nostri, cum in templo morantur vel alibi locorum inter pauperes versantur.